



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XXIII. Monet fugam peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

to ergo magis æquum est, homines, qui habitant domos linteas, pauere iudicium meum, nec bibere, quasi aquam, iniquitatem? Placeat vobis paternis visceribus dignum consilium meum: Si me propitium, in die ultionis, vide-re desideratis, ante diem rationis, me tanquam iudicem expauescite. Viuite in multa cordis sollicitudine, mihi so-li placere studentes; non enim prode-rit vobis fauor, aut gratia hominum, si me prius non placatis. Videte, quod e-go sim solus, & nō sit aliis Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciā, & non est, qui de manu mea possit eru-ere. Ego reddam ultionem hostibus meis: & ijs, qui oderant me, retri-buam.

*Cap. XXXIII.*

*Monet fugam peccati.*

**N**IHL est, filij charissimi, quod iram meam prouocet, nisi pec-catum: cuius causa, tactus dolore cor-dis intrinsecus, deleui, per diluuium hominem, quem formaueram; & exci-tatus sum ad puniendos inimicos me-

*os, tan-*



os , tanquam dormiens,& tanquam  
potens crapulatus à vino. Iniquitatem  
odio habui,& abominatus sum: intol-  
erabilis enim mihi est peccati turpi-  
tudo. Angelis non pepercisti,& horren-  
dis supplicijs orbem terræ percussisti: ut  
grande peccati malum pensare disce-  
retis. Si ergo iram meam vitare cupi-  
tis; quasi à facie colubri,fugite pecca-  
tum,& per vias iustorum rectas ad me  
venire properate. Aedificant alij Ba-  
bylonem,& qui in sordibus est,sordes-  
cat adhuc: vos autem,qui me sequi de-  
sideratis,ab omni peccato abstinentes  
curate,ut citò,aedificantur muri Ieru-  
salem , atquè adeò,qui iustificatus est,  
iustificetur adhuc. Non est pars in filio  
Dauid ijs, qui peccare non timent:im-  
mo tradentur ipsi in manus gladij, &  
partes vulpium erunt. Rem quippe ne-  
fandam operati sunt,& vestimenta sua  
in sanguine Agni non dealbauerunt.  
Expurgate vetus fermentum , & san-  
ctuarium cordis vestri , ubi habitare  
cupio, ne imposterum polluatis. Ap-  
parebuntque vultus vestri,coram me,  
formosiores, per abstinentiam pecca-

C ti,quam

ti, quām vultus eorum, qui in domibus regum nutriuntur in croceis, & amplexantur stercora peccati. Estote imitatores mei, sicut filij charissimi, ut representetis, imagine viua, innocentiam meam, & spurcias peccati impoluto calle pertransite. Hæc est sapientia Iustorum, qui culpam magis, quām inferni pœnas timent: & studiofissimè fugiunt incentiua peccati. In dies singulos querunt aspergi sanguine meo, & mundari, ac super candidissimam niuem dealbari.

## C A P. X X I V.

*Monet compunctionem cordis.*

**Q**VI mihi placere cupit, non quærit, altum sapere: sed in animo contrito, atquè sollicito à me suscipi. Propterea fugit omnia illa in quibus animus sibi placet: & ea exercitia eligit, quæ mundi fugam, & lachrymas generant. Ex hoc numero fuit rex ille seruus meus, qui cùm esset paruulus, in oculis suis, nihil curans regni magnitudinem, media nocte surgebat, ad confitendum mihi, & innumeris suspicij, &